

quos etiam ipsos, si integrum adhuc esset, facile ipse pate-
rer id mihi præripere, quod subducere instituerunt. Lau-
dis enim mediocris iacturam, cum laboris ingentis com-
pendio haud ægre compensassem. Vale uir amicissime. In
Marliano nostro quinto Calendas Aprileis.

GVLIELMVS BVDAEVVS PE-
TRO BEMBO S.



AD me plurimum amandum (id quod antea
euenisse tibi dicis) quibusnã philtris impul-
sus sis, conijcere ipse nequeo: qui in meis scri-
ptis, quibus solis innotescere tibi potui (ut
opinor) Venerem nullam agnosco: quæ ho-
minem te mihi eximie elegantia, ingenij solidi, selecte do-
ctrinae, gratia exuberantis conciliare potuerit: quum hæc
omnia amoris honesti lenocinia, parum meis in scriptis,
mea etiam sententia eluceant. Quare si ultro me amasti,
aut erroris id fuit, aut ingenitæ tibi charitatis in homines
propensæ earum literarum studiosos, quibus tu inclarui-
sti. Sic mores in Longolio, dotesque animi eximias admira-
tus, ultro tute illi beneuolentiam opitulationemque tuam
detulisti, ac reo peregrinitatis etiam studium atque patroci-
nium. In quo facinore suscipiendo ac tuendo coniunctam
opportune nactus es uoluntatem Iacobi Sadoleti grauis-
simi tui collegæ, uiri non modo antistitis, sed etiam præ-
stantis, omnibusque ornamentis ciuilibus uitæ & elegantis
uberrime præditi: qui cum ipso tenacibus glutinis concor-
diæ, ualidis ac multis retinaculis amicitia iuratissimæ, cõ-
pactæque beneuolentiæ, quum deuinctum esse te ex literis
tuis aliasque intellexerim, nullum tamen ius inter uos pro-
pensius intercedere, uberiusque ad amicitiam tuendam exi-
stimo (id quod tu in illa tua elegantî nomenclatura cau-
sarum

farum coniunctionis uestræ prætermisisti) quàm incredi-
 bilem quandam indiscretamq; similitudinem humanita-
 tis, comitatis, probitatis, eruditionisq; rectæ & iustæ ad
 amissim præscam exactæ, lepore exosculando conditæ ac
 iucundæ. His animorum insignibus, quasi quibusdam il-
 lecebris honestatis, philtrisq; adeo philocaliæ si captum
 esse me dicã, uestrisq; amore flagrantem, quid causæ est tan-
 dem, quin fidem mihi protinus accommodare uos debeat
 tis? cum ad consciëntiam ueritatis accedat iudicij uestri can-
 dor, qui ex quibusdam ipse quidem documentis, quæ exie-
 runt ex officina nostra, persuadere uobis potuit honesta-
 tem me & probitatem inter numina mortalia magnopere
 colere atq; religiose. Non pridem uero existimabam, & di-
 citabam Longolium iam tuum beneuolente eo loue na-
 tum esse, quem Græci Philium uocant & Hæteriũ, ut cui
 tantarum amicitiarum opibus auctum esse cõtigisset, præ-
 sidijsq; firmatum & subsidijs. Nunc ex ijs quæ ad me ipse
 scripsit, intellexi non minus eum Xenio loui curæ esse.
 Quippe qui in urbe illustrißima hospitium regium inue-
 nerit (ut ipse commemorat) non quæsitum, sed oblatum: di-
 gnũ mediussidius, in quod cũ Veneris pellice altera Vul-
 cani coniuge, Fors fortuna diuerse, omniaq; fata hilaria,
 benignaq; immigrent. Quod te in ære meo esse dicis, ha-
 beo gratiam quàm maximam, & accipio quod das: à teq;
 libens contenderim, ut me meaq; pignora pro Antidoro
 offerre tibi liceat. Quod si mihi iam indulges (uideo enim
 facilitatem tuam) statue quo in numero non ultimo ἐμέ τε
 καὶ τὰ μὰ εὐίτατα esse uelis: quando te ego collegamq; tu-
 um in calendario meo ἐν τοῖς τιμιωτάτοις ἐμοί τε καὶ τοῖς πά-
 σιν ἕταξα. Vale. E Marliano uico nostro, sexto Calend. Marti-
 tias, Anno. M. D. XX. more uestro, non nostro Cisalpino,
 qui annos auspiciamur à natali Resurrectionis nobis ora-
 culis promissæ.